

117. CLITORIA minor, flore cæruleo.

Caulis scandens, filiformis, tenuis, contra solem s. sinistrosum scandens; glaberrimus; ramis consimilibus.

Folia alterna: foliolis lanceolatis, acutis, sesquiuncialibus, glabris, integerrimis, venosis. *Petiolus universalis* longitudine duar. unciarum cum dimidia, basi crassius, alias teres, linea profunda, angusta sulcatus; *partiales* breves, teretes. *Stipulae* petioli duæ, subulatae, breves, erectæ ad folia lateralia, quæ paulo supra medium petioli communis fere eidem adnexa sunt & duo ad apicem petioli, ubi incipit pedicellus terminalis. *Stipulae basales* duæ, ovato-acutæ, breves, erectæ.

Flores 2, 3, 4, 5, axillares. *Pedunculi* conferti, axillares, semiunciales, filiformes, hirsuti, uniflori. *Bracteæ* plurimum ordinum; *inferiæ* ad petioli basin duorum parium, acutæ, erectæ; *postea* excipitur bracteis duabus oppositis, patentibus, deciduis, ovato-acuminatis, concavis, excipientibus latere inferiore Floris bracteam *aliam*, subrotundo-cordatam, concavam, patentem, amplexantem pedunculos, obtusam, acuminatam; postea pedunculus nudus ad bracteas florales. *Bracteæ florales* binæ, laterales, oppositæ, erectæ, ovato-acuminatæ, concavæ s. convexæ, glabræ, marginibus parallelis, conniventibus, florem ante explicationem includentibus.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, breve, quinque-dentatum: dentibus obtusis, brevissimis; infimo vero longiore, subulato, sinibus obtusissimis; dorsalibus duobus approximatis.

COR. papilionacea. *Vexillum* patentissimum, maximum, subrotundum, planum ungue brevi; lamina dorsi inciso profundo notata. *Ala* lineares, lanceolatae, ascendentes, cum supremo margine carinae parallelæ, ungui brevi, lineari, appendice oblongo, marginibus tumide flexis, lamina latere superiore tumida. *Carina* obtusa, valde ascendens, margine inferiori segmenti circuli instar ascendente; unguis basi levissime bifidus, apice quoque bifido, laciniis ovatis, marginibus tumidis, connatis.

STAM. diadelpa: *superius* filiforme, depressum, distinctum; *reliqua* novem connata, superne fissi laciniis subulatis, incurvis. *Anthera* subrotundæ, parvæ, incumbentes.

PIST.